DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VACCINA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VACCINA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS BEST,

ANGLO-BRITANNUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.
PRÆSES ANNUUS.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

——Ad illam pestem comprimendam, extinguendam, funditùs delendam, nata esse videtur. CICERO.

" Te mater omnis, te lachrymabilis
Adcurret uxor, ne caducum
Orba virum pueros que ploret:
Seu confluentes forte timet notas
Decora virgo; tu faciem eripis
Periclitantem, protegisque
Delicias juvenum futuras."

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1801.

VIRO REVERENDO

FRANCISCO BEST,

PATRI, MONITORI, AMICO,

STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT

FILIUS.

ARGUMENTUM.

Quocirca opinari mihi fas ſit, morbos certas habere periodos, quòdque ſicut alii morbi olim extitere, qui vel jam occiderunt penitùs, vel ſaltem rariſſimè comparent, ita qui nunc regnant morbi, aliquando demum intercident, novis cedentes ſpeciebus, de quibus nos ne minimùm quidem hariolari ~~videmus~~. valemus.

SYDENHAM. Op. p. 241.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

VACCINA.

QUOT incrementa ſcientia, quot præcipuè medicina, intra paucos annos accepit, haud quiſquam ignorat. Philoſophorum medicorumque induſtria, non modò vias notas excoluit et ampliavit, verùm etiam tramites novos oſtendit, feliciterque patefacit. Hæc inter inventa ſi ea clariſſima habenda

ſint,

ſint, quibus hominum miſeriæ et ærumnæ maximè minuuntur, Vaccina certè nuper reperta, primos ſibi jure vindicat honores. Spes quæ exindè jucunda exoritur, ſævum et exitioſum morbum extirpandi, haud ſine oblectatione a quoque benevolo conſpicietur; neque facilis commemoratio, quantæ JENNER eximio gratiæ debentur, cujus felix indagatio hoc beneficium inſigne hominibus vulgavit. Utiles etiam et PEARSON et WOODVILLE labores, neque quenquam latent, neque cujuſquam in memoria ſine honore habentur.

DE VACCINA FORTUITA SEU NATIVA.

Hiſtoria Morbi.

LENIS et innocuus morbus, hâc brevi diſſertatione paucis deſcribendus, per ignotum temporis ſpatium ruricolis innotuit. Inter vaccas invenitur,

invenitur, in auſtralibus et occidentalibus Angliæ regionibus; iis autem quæ vergunt ad ſeptentrionem, in Caledonia aut in Cambria, veſtigia ejus adhuc nulla deprehenſa ſunt. In Hibernia, viciniâ *Corragiæ* (Cork), diu ut perhibetur ruſticis notus eſt, et linguâ regionis antiquâ ſhinagh appellatus *: nuſquam autem niſi in locis primùm memoratis, quiſquam eum medicus hactenùs conſpexit.

Vernâ tempeſtate, præſertim humidâ et pluviosâ, vaccina inter armenta ſæpiſſime apparet. Primùm in vaccæ papillas, formâ veſicularum humorem in ſe limpidum continentium, obſervatur. Colorem cœruleum aut lividum, et concavam ſuperficiem hæ veſiculæ oſtendunt, et inflammatione erythematoſa ac tumore circumdantur. Signa in vaccis.

Mox

* Vid. Barry, apud "Medical and Phyſical Journal."

Mox puſtulæ irregulares deveniunt, et niſi cura tempeſtivè adhibita ſit, in ulcera permoleſta vel etiam phagedænica tranſeunt. Vacca nonnunquam leniter ægrotat, cibi appetentia, lactiſque ſecretione, paululùm imminutis.

Signa in mulgentibus.

Nec longum tempus et mulgentes morbo inficiuntur: ſubcœruleæ et exiguæ veſicationes rubore circumcinctæ, in manus videntur, quæ brevi in puſtulas concavas et rotundas increſcunt. Humore abſorpto, in glandulis axillarum tenſio atque dolor ſentiuntur, ſubſequentibus laſſitudine, algore, nauſeâ, cephalalgiâ, pulſu frequenti, et aliquando etiam leni delirio *. Hæc ſymptomata unum vel tres vel quatuor dies plerumque perdurant; exempla autem enarrantur, in quibus per tres etiam

* Vid. "Jenner's Inquiry."

etiam hebdomadas medico auxilio opus eſſet *. Puſtulæ maturæ ſæpe non illicò cruſtis obducuntur, ſed ulcera, ut in vacca, dolentia vel phagedænica fiunt.

Inſitione deſignatâ, ex puſtula vel vaccæ, vel alicujus fortuitò a vacca infecti, ſimilis ſed mitior morbus excitatur, qui eodem modo inſitione, alio ad alium, ad infinitum extendatur; et quicunque vel hoc vel illo modo morbum ſemel perpeſſus ſit, tutus per totum vitæ decurſum a variolarum contagione manebit.

Vaccarum morbi vaccinam ſimulantes.

Præter ſuprà memoratum, aliis uberum morbis vaccæ opportunæ ſunt; cùmque illis nulla inſit facultas variolis intactum quemvis aſſervandi, multi eſt ſigna et notas cognoſcere, quæ falſum verumque morbum diſtinguunt. Puſtulæ ſpuriæ colore iſto cœruleo concavâque

* Vid. "Med. and Phyſ. Journal."

que figurâ, qui verum in vacca morbum semper comitantur, omninò carent; inflammatione erythematosâ rariùs cinguntur, summam solummodò cutem afficiunt, citóque sine ulceratione in crustas desinunt: haud tamen secùs ac vera vaccina, ulcera dolentia mulgentibus impertiunt. Mutatio jejuni et sicci hyemis pabuli, herbæ nutrienti et succulentæ veris, vaccas his spuriis eruptionibus obnoxias efficit; plurimæque uberis irritationes, quales vituli lactantes, dura mulgentium tractatio, morsus vel punctio venenata muscarum, aut diuturna lacte distentio, singula vel conjuncta inter causas excitantes agnoscuntur.

Spuriæ vaccinæ in homine etiam aliæ causæ existunt, neque minùs attentione dignæ: hæ autem posteà enumerandæ.

DE

DE ORTU VACCINÆ.

De ortu ſeu cauſa vaccinæ nuper inter medicos multùm diſceptatum eſt. Jenner hunc morbum oriri arbitratur, ſecretione calcium equi, *ſpecie quâdam* morbi, qui Anglicè *Greaſe* appellatur, laborantis. Materiem hanc morbidam vaccæ papillis admoveri exiſtimat per famulum, in equis curandis, et vaccis mulgendis, alternè occupatum.

Non deſunt argumenta quæ hanc opinionem adjuvant.

1. In illis ſolummodo regionibus, ubi ab eodem famulo vaccæ et equi curantur, morbus adhuc certè compertus eſt.

2. Sanies calcium equi morbum veræ vaccinæ admodum ſimilem in ſtabulariis ſæpius parit *.

3. Ab

* Hujuſmodi exempla plurima auctoribus de vaccina prolata ſunt; et unum nuper vulgatum eſt, in quo

3. Ab homine quo morbus ex equi calce acceptus eſt, Jenner inſitione puerum infecit; puſtulamque puſtulâ vaccinæ vix charactere diverſam, eademque ſyſtematis affectione comitatam, excitavit.

4. Plurimi ex equo infecti, poſtea variolarum contagioni non obnoxii reperti ſunt.

5. Ex calcis equini humoris admotu, uno quidem exemplo verus in vacca morbus excitatus eſt *.

6. Vaccina

quo idem iſte color cœruleus, ipsâ vaccinâ proditus, ſeſe haud obſcurè oſtendit.—Vid. "Med. and Phyſ. Journal."

* Vid. Tanner, in "Comparative Statement of Facts." — Hîc attamen memorandum, quòd quinque dies ante ſaniem calcium equi admotam, humor puſtulæ vaccinæ eodem ipſi loco admotus fuiſſet; atque haud abſimile videtur, partem inoculatam per ſaniei equinæ acrimoniam ita ſenſilem evadiſſe, ut tabi vaccinei aliter inertis et perituri contagium ſuſcepiſſet. Certè igitur experimento non omninò fidendum.

6. Vaccina ſæpe exoritur in prædio, quando nulla morbo vacca laborans in armentum accepta eſt. Cùm tamen haud ulla extant exempla ortûs ſpontanei cujuſlibet ex tabo ſpecifico provenientis morbi, putà variolæ, rubeolæ, aut ſyphilitidis, a comparatione inferre non injuſtum videtur, vaccinam quoque nunquam ultrò oriri: atque ſi hæc ex comparatione inductio juſta habeatur, manifeſtæ et potenti, quàm incompertæ et ignotæ cauſæ morbum aſcribere, magis rationi conſentaneum appareret.

Objicitur intereà huic opinioni, diſſimilitudo inter calcium equi et uberum vaccæ affectum, quæ analogiæ et rationi contraria exiſtimatur. Omnibus autem percognitis exemplis, contagii ab altero ad alterum animalium genus communicati, a morbo eædem immutationes ſubeuntur. In *rabie canina*, per totum morbi decurſum, canis ſine incommodo

B fluida

fluida haurit *: eodem in morbo hominem afficiente, leviſſimum quidem haurire conamen, vel etiam aquæ ab altero in alterum vas effundentis ſtrepitus, horrendas convulſiones ciet. Senſuum internorum conditio, et inter acceptum morſum et morbi exortum temporis ſpatium, in homine et cane inſigniter diverſum, hanc immutationem non minùs oſtendunt. Immutatio quam ipſa ſubit *vaccina*, ſatis manifeſtè apparet: in vacca puſtulæ, coloris cœrulei aut liveſcentis, conſpiciuntur; primâ autem in hominem inſitione, color iſte multùm imminuitur, atque ſecundâ prorſùs evaneſcit. In vacca etiam puſtulæ irregulares et diſſimiles; in homine formam circularem ſemper induunt. Puſtula in cute humana *humore equino* excitata, longiùs etiam differt a morbo calcium equi. Ex his igitur liquet exemplis, morbi immutationem, tranſitu ex equo in vaccam, naturæ

* Hamilton "on Hydrophobia," vol. i. — Hunter in "Med. and Chir. Tranſ." vol. i.

naturæ legibus omninò convenire: ac ſi in memoria ſimul teneatur, quantùm partium quas aggrediuntur ſtructurâ morbi immutantur *, diſſimilitudo morborum ne minimum quidem contra ſententiam, argumentum habenda eſt.

Ulterius objicitur, quòd a WOODVILLE, COLEMAN, aliisque, ſæpe fruſtrà tentatum ſit, ſaniei calcium equi in vaccarum ubera inſitione, vaccinam excitare. Hoc, quamvis argumentum ſolummodo negans contra opinionem præbeat, haud tamen dubiè veritati ejus aliquantò oppugnatur. Obſervandum autem experimenta nonnihil in hac re deficere; quòd neque

* Inſigne hujus rei exemplum præbetur, a podagra articulos, ventriculum, vel urethram afficiente; altero, nempe, inflammationem, altero forſan ſpaſmum, alteràque blenorrhagiam, concitante; et inflammationis varietates ex partium ſtructura pendentes, a cel. SMYTH, apud "Med. Communications," tam luculenter indicatæ et deſcriptæ, ejuſdem rei plurima et conſpicua documenta ſuppeditant.

neque neceſſariæ proclivitati in vacca, nec *ſpeciei* in equi calcibus morbi, ſatis, ut videtur, ſpectatum eſſet.

Ad hoc argumentum nuper aliud, et primâ quidem ſpecie, majoris etiam ponderis, additum eſt; morbum nempè frequenter in vaccis oriri, ubi nullum aut cum equis aut cum aliis ægrotantibus vaccis, commercium extiterat*: ſed neque hoc, me quidem judice, opinionem primariam ſubvertit. Nemo non ſæpenumerò obſervavit, ſi ulcuſculum in equi vel vaccæ cutem exiſtat, vel ſi cuticula ſolummodò defricetur, quomodò muſcæ frequentes et confertæ in partem conſidant: nec jure quiſquam negabit, quin muſcæ, vel calcibus equorum, vel uberibus vaccarum ulceratis depulſæ et volitantes per agros, poſteà in aliarum haud vitiata ubera vaccarum conſidant, inque hæc tabum vaccinæ deponant.

Fatendum

* Vid. " Aiken on the Cow-pox," edit. ſecund.

Fatendum attamen, plurima argumenta et teſtimonia deeſſe, priuſquam de ortu vaccinæ ſine dubio diſſerere licuerit.

Vix forſan memorare operæ pretium eſt, ſed ne omninò quidem indagationis indignum eſſe videtur, non modò, num vaccina per muſcas unquam propagatur, ſed morſu venenato cujuſdam generis muſcæ, num etiam originem ſuam ducat? In Ruſſia et Siberia exitioſus inter armenta haud inſolitò morbus exoritur, ex muſcarum (ſecundum auctores qui de natura ejus ſcripſerunt) morſibus venenatis proveniens: quod autem notatu maximè dignum eſt, tactu, ſicut vaccina, hominibus impertitur, et quanquam inter hos non ampliùs contagione propagatur, ſymptomatibus tamen haud minùs gravibus aut lethalibus ſtipatur *.

* Vid. "Philoſophical Magazine, Auguſt 1800."—Vid. etiam "Voyages de PALLAS."

DE VACCINA INSITIVA.

Falsæ Vaccinæ in genere humano causæ.

Duæ sunt causæ præter falsam vaccinam, quæ nisi caveantur, spurium in humano genenere morbum excitare valent. Harum altera, tabi usurpatio est, quod vel diuturnâ conservatione, calore aut humiditate, aliâve minùs intellectâ causâ, vim suam pristinam et specificam amisit: altera, insitio est ichoris ex pustula, quæ quanquam humore veræ vaccinæ excitata, aut nunquam pustulæ vaccineæ notas ostendit, aut paulatim in ulcus simplex præteriit.

Spurii morbi, et ex hac et ex illa causâ provenientis, plurima apud auctores de variolis extant exempla; similesque causas similes in vaccina præstituras effectus, haud ferè quisquam dubitabit.

Conservatio tabi.

Universè fermè apud medicos conqueritur de morbum excitandi difficultate; et hæc partim fortassè ex parva tabi efficientia devenit,

nit, partim etiam ex brevi tempore quo vim ſuam retinet.

Si locus humore infectus ordine regulari progrediatur, virus maximè pollet ſeptimis, octavis, et nonis diebus; tunc atque, ſi data occaſio, colligendum eſt, et in forma fluida uſurpandum. Quandò poſteris pro inſitionibus humorem vaccinæ conſervare velimus, in pennam ſeu vitrum accipiendus eſt, et in aëre ſiccandus: hoc ſimplice modo adhibito, poſt tres etiam menſes, vim ſuam haud imminutam retinere repertus eſt *. Ad tabi conſervationem multùm fortaſſe conferret, ſi penna vel vitrum iterum iterumque humore madefactæ eſſent; liquet enim cel. CURRIE in pus varioloſum experimentis, ut quò craſſiorem in maſſam colligatur, eò diutiùs ſuas vires retineat †. Prodeſt etiam virus exſiccatum, gummi *Arabici* ſeu gummi *copal* ſolutione, leviter oblinere;

* JENNER's "Further Obſervations."

† "Medical Reports," p. 61.

nere; ſic enim aëris contactus prohibetur, atque corruptela plurimùm tardatur. Idem quoque propoſitum commodè abſolvitur, humorem inter laminas vitreas cerâ occluſas conſervando. Si etiam in vaſe vitreo, gas hydrogenicum ſeu azoticum continente, incluſum ſit, mutationes quas in aëre ſubit diu differuntur *.

Priuſquam utatur hoc virus conſervatum, ut aquæ calidæ vaporibus, vel aquâ ipſa calefactâ permadeſcat, curandum eſt; fit enim exſiccatione multò durius et inſolubilius, pure varioloſo †.

In humore inſerendo, a WOODVILLE præcipitur, ut lanceola propemodum ad angulum rectum cum cute teneatur, et loco puncturæ ut cuticula ſæpe leviter perſtringatur, donec acies inſtrumenti cruore tingatur.

Progreſſio morbi in loco inſitione infecto.

Infectæ partis hæc ſolita progreſſio. Secundo aut tertio die leniter rubet, et ad tactum

* PEARSON. † WOODVILLE.

tum aliquantùm tumet. Inflammatio et tumor paulatim augentur, et ſexto vel ſeptimo die, humore limpido plena veſicula conſpicitur. Inflammatione progrediente, veſicula magnitudine creſcit: in media parte deprimitur; margines autem turgeſcunt, et humore implentur. Octavo, nono, ſeu decimo die, rubor undique ex puſtula in cutem latè effloreſcit; et hic a dimidio ad duos uſque pollices ſeſe extendens, certum præbet indicium actionis, quam in totum jam corpus virus exercet. Puſtula interim augetur plerumque ad undecimum diem, et ex hoc tempore effloreſcentia excedere incipit, et circulo priùs formato paulatim evaneſcit: limpidus ſimul humor lenteſcit, et exſiccatur, depreſſum veſiculæ centrum ſcabrum et fuſcum evadit, et cruſtâ nitente et craſsâ, ferruginei aut ſubnigri coloris brevi totum obducitur. Cruſta niſi vi prius ſummota, poſt duas circiter hebdomadas ſponte delabitur.

Longè in majori infantium numero, nulla ægrotatio percipienda eſt; ſed tamen in paucis, et aliquid frequentiùs in adultis, capitis dolor, cibi appetentiæ defectus, et pulſûs frequentia aucta, vix ultra horas duodecim perdurantes, ſentiuntur. Hæc ſymptomata, prægreſſo in axilla et puſtula dolore, octavam aut nonam circiter diem plerumque aggrediuntur, et ſi neque antecedant, nec comitentur ruborem, pro certo habeamus non omninò adventura.

Aſſuetus morbi decurſus plerumque ut ſuprà memoratus, quibuſdam autem in exemplis, paulò ſeriùs ociúsve puſtula ad criſin pervenit; et quando rubor circumfuſus non ante diem undecimum ſeſe oſtendit, aliquid ægrotationis plerumque accedit *.

Indicia veræ vaccinæ.

Ex notis loci cui humor infuſus eſt, certo ordine certoque tempore ſe invicem excipientibus, an contagio ſuſcepta fuerit judicamus. Si

* Woodville, "Obſervations."

Si primo aut ſecundo die, punctura multo rubore circumdetur, ne contagium rejiciatur timendum eſt, et tertio quartove die, ſi puſtula magna et tumida apparuerit, præcipuè ſi veſicula in apice viſa ſit, minimè dubitandum quin inſitio defecerit, corpusque variolis obnoxium reſtet. Eadem variolis opportunitas manebit, ſi ſexto vel ſeptimo die puſtula non formam induat aſſuetam, ſed in ulcus ſerpens et ſuppuratum tranſit.

Obiter hîc forſan obſervare liceat, quòd qui variolarum contagium, vaccinæ etiam rejiciunt. Hâc immunitate gaudere, unum ex viginti Sauvages æſtimavit: a Woodville autem, cujus in hac re auctoritas plurimùm valet, unus tantùm ex circiter ſexaginta immunis cenſetur.

Morbus etiam uſque ad ſummum progreſſus, attentè et accuratè obſervandus eſt. Si notæ a puſtula veræ vaccinæ ſemper oſtentæ, forma ſcilicet circularis et circumſcripta, margines

gines altæ et turgidæ, centrumque depreſſum, in memoria teneantur, nullus aut errori aut fallaciæ locus; cùm autem deſint hi characteres, cùmque margines angulatæ aut irregulares videntur, de morbi natura ſemper dubitandum; et vel ex vitiato tabo vaccinæ, vel ex puſtulæ ſpuriæ aut exulceratæ ſecretione, vel denique ex ipſo variolarum humore, exortum eſſe ſuſpicandum.

Curatio medica.

Auxilio medico rariſſimè opus eſt. Puſtulâ ad ſummum perventâ, ſi urgeant ſigna pyrexiæ, a cathartico forti multùm lenientur. Inflammatio puſtulæ aucta, et ſeſe diffundere minitans, per pannos aceto et aquâ, vel ceruſſâ acetatâ ſolutâ, madefactos, facilè ſedatur. Unguentum hydrargyri, eodem cum conſilio utilè adhibetur.

Cùm in ulcus tranſire locus ſe pronum oſtendit, quod etiam ante ſextum diem aliquando accidit, cum acu vel alio inſtrumento in acidum ſulphuricum immerſo, per breve temporis

poris ſpatium tangendus eſt, poſteaque cum ſpongia humida abſtergendus. Tunc atque ſi puſtula redeat ad priſtinam formam, et per gradus ordinatos procedat, haud minùs arcere variolas valebit *.

Accidit nonnunquam, præcipuè autem rure, ut vel aëris vel ægri pravâ conſtitutione, puſtula poſt criſin exulceret, et permoleſta deveniat: hoc etiam, ſicut conſtat variis ex teſtimoniis, per acidum ſulphuricum modo ſuprà memorato tempeſtivè applicatum, facilè prohibeatur. Suadet etiam JENNER, ut ſemper puſtulæ progredienti obſiſtere tentaremus, ſimul ac pyrexia aut rubor circumfuſus, corpus totum laborare indicia præbeant. Illis in regionibus ubi exulceratio ſæpius accidit, hoc certè ſemper monendum; Londini autem et Edinæ, puſtulæ exulceratæ tam rara ſunt exempla, ut propemodum ſupervacua hæc

* WOODVILLE, "Obſervations."

hæc cura videatur. Loco jam exulcerato, emplastrum *hydrargyri nitrati rubri* unguento simplice mixti, vel *unguenti hydrargyri nitrati*, ulcerationis diffusioni plerumque obsistet, et faciet ut locus brevi sanetur.

ABNORMIA.

Abnormia quædam, insitionem vaccinæ aliquando excipientia, etiamnum memoranda supersunt.

Papulæ. Nonnunquam accidit, pustulâ progrediente, papulas leves et evanescentes, in diversis corporis partibus apparere: quædam etiam tubercula rubra et dura, aliquando conspiciuntur. Hæc circa diem decimum quartum plerumque erumpunt; illæ autem sæpe prima cum brachii inflammatione, et interdum etiam seriùs videntur.

Papulæ non ex vaccinea accepta in corpus

pus contagione, ſed ex ſola puſtulæ inflammatæ irritatione, oriuntur. Similium in infantibus exempla eruptionum, ex dentitionis aut viſcerum quarundam affectionum irritatione, omnibus cognita; cibusque venenatus in ventriculum acceptus, ſæpe ſimiles in adultis edit effectus *.

Tubercula tamen dura ex contagione vaccinæ in corpus accepta, provenire habenda ſunt; quando enim ad humorem formandum progreſſa ſunt, quod interdum, quanquam raró, evenit, ſecretus humor morbo in alio producendo idoneus a WOODVILLE repertus eſt †. Tubercula.

Nonnullis etiam, rariſſimis quanquam in exemplis, eruptiones quædam, puſtulam in brachio Puſtulæ ſecundariæ.

* "Ex ſolo *mitulorum*, oſtrearum venenatarum, vel et cancrorum, in aliis victu, jam copioſa ad cutem exanthemata prorumpunt."——FRANK, de Curandis Hominum Morbis, vol. iii. 10.

† "Obſervations."

brachio insitione excitatam omninò referentes, in corpus videntur. Inter 1300 *Mancunii* (Manchester) quodam ex amicis meis * inoculatos, his eruptionibus vaccineis sex afficiebantur; et inter paucos infantes insitione infectos, unum quidem simile exemplum mihi etiam obvium occurrit. Humor ex his eruptionibus veram vaccinam excitare valet, nec humore pustulæ inoculatæ sæpius eruptiones secundarias gignit †.

Variolæ supervenientes vaccinæ.

Altera attamen eruptionum species, vaccinæ insitioni aliquando succedens, ampliorem animadversionem postulat;—eruptio nempè in diversis

---

* Dom. Gibson.

† Duo enarrantur exempla, in quibus plus centum pustulæ *secundariæ* sese extulerunt; octo autem infantes harum eruptionum humore infecti, vaccinam sine eruptionibus, mitissimâ etiam formâ, subierunt.—Vid. Holt, in "Med. and Phys. Journal."

diverſis corporis partibus puſtularum variolas prorſùs referentium. Ex quingentis illis apud *Noſocomium pro inſitione variolarum* vaccinâ primùm infectis, trecenti his eruptionibus corripiebantur: ex his, plurimi graviter ægrotabant, et infans quidem unus morte abreptus eſt. Ejuſdem generis eruptiones, eâdemque corporis ægrotatione comitatæ in variis etiam Angliæ regionibus evenerunt.

Aucta de vaccina ſcientia harum eruptionum naturam tandem explicavit, nec ampliùs locus eſt dubitandi, quin omnes reverà *variolæ* extitiſſent.

Per plurima exempla jam ſatis probatum eſt, quòd corpore variolarum effluvio prius objecto, inſitio humoris vaccineæ minimè ne variolæ poſteà erumpant, prohibebit; hæ enim puſtulæ vaccinæ et creſcenti, et ad ſummam perventæ, et exſiccatæ, iterum iterumque ſupervenere *.

* Hujuſcemodi exempla nonnulla apud " Medical and

Porrò autem repertum eſt, puſtulam vaccinæ inſitione excitatam, puſtulasque variolarum contagione fortuita provenientes, eodem tempore per gradus ordinatos progredi poſſe *. Nihil in hac re ineſſe fallaciæ, clare ex hoc conſtat, quod duobus in eodem homine morbus unà exiſtentibus, humor ex illius puſtula vaccinam, ex hujus variolas parit; ſicut experimenta amici ſuprà memorati (vid. p. 24.), atque aliorum, ſatis docuerint. His igitur cognitis, ſi ſimul in memoria habeamus, has eruptiones variolas in forma prorſùs retuliſſe, humoremque

and Phyſical Journal," extant: unum quidem nono poſt inſitum humorem vaccineum die, nobis etiam viſum; aliaque medicis ab amicis plurima memorata ſunt.

* Si attamen ante quintum poſt inſitum humorem diem, variolæ ſupervenerint, puſtula vaccinea non ampliùs creſcit, ſed paulatim recedit et exſiccatur. — Vid. Pearson, apud Duncan's "Annals of Medicine," vol. v.

humoremque ex illis inſitum ſimiles eruptiones aliis peperiſſe, etiamque per efſluvium propagatas *, et nullis niſi variolarum contagioni prius expoſitis unquam viſas fuiſſe, an alia quædam deſunt documenta, ne vera variolarum exempla exiſtimentur?

Notatu dignum eſt, quòd quando variolæ fortuitæ vaccinæ ſupervenerint, æquè ſunt mites, ac cum inſitione excitatæ, et plurimis hoc obſervandi occaſiones adfuerunt. Neque ſanè in hac re facilis deceptio, cùm in variolis fortuitò acceptis, nulla vaccinæ puſtulâ præſente, ex ſex quibusque correptis ſaltem unus oppetat. Quædam generalia ad vaccinam pertinentia.

Diſceptatum eſt an vaccina eodem bis ſuſcipi poſſit. In homine qui morbum jam ſemel ſubiit, virus iterum inſertum plerumque cutem non afficit; aliquando autem puſtula localis, veras vaccinæ notas oſtendens, et deſignatâ et fortuitâ inſitione, in cute excitata eſt.

* Woodville's Reports.

eſt. Reverà quod de natura humoris variolarum jampridem notum eſt, qui cutem iterum iterumque afficere valet, non ambiguum reddidit quin hoc futurum *.

Ab homine etiam qui variolas ſubiit, locales vaccinæ effectus ſuſcipiuntur: quidam ex condiſcipulis meis, variolas jamdiu perpeſſus, puſtulam vaccineam in digito ſuo inſitione excitavit, atque ejus humore veram in infante vaccinam produxit.

Abundè jam probatum eſt, quòd corpus per vaccinam a variolarum contagione omninò tutum reddatur. Plus mille hominum, poſt vaccinam

* "Obvium vulgatiſſimumque eſt, pus varioloſum tactu immitti in cutem eorum qui variolas jam paſſi ſunt, indéque puſtulas exoriri, quæ formâ, durationis tempore, inflammationis, ſuppurationis, exſiccationisque modo, veras omninò variolas referunt."—BURSERIUS, Inſtit. Med. Pract. vol. ii. 151. —Vid. etiam JENNER's "Further Obſervations."

vaccinam acceptam, et effluvio variolarum se objicerunt, earumque humorem infitione in cutem receperunt; hæ autem ne semel quidem consequutæ sint; et in prolatis exemplis variolarum, longo post tempore vaccinæ succedentium, satis ex symptomatum narratione apparet, ægrotos non verâ sed falsâ vaccinâ laborâsse.

Rogatum est, an homines per totum vitæ decursum, a variolis tueantur? Si documentis opus esset, hoc ex aliorum comparatione morborum satis constaret; luculentiùs autem per eorum exempla probatur, qui morbum a vaccâ quinquaginta vel sexaginta abhinc annos accepti *, adhuc etiam variolis immunes supersunt.

Unum solummodo vaccinæ exemplum fatale memoratur: in infante quodam, erythema per cutem a pustula serpens, in corpus

* Jenner. — Fermor's Letter on the Cow-pox.

corpus se diffudit, et mortem tandem intulit *.

Vaccina jam in Hiberniam, in Galliam, Germaniam, Helvetiam, Italiam, et in Americam, diu translata est, et ubique lenitatem pristinam servavit. In his solis Insulis, 100,000 † hominum insitionem jampridem pertulerunt, et singulis huic numero mensibus, millia adjunguntur.

Quantum utilitatem generi humano vaccina attulit, referre non opus est. Ipsa non modo periculi, verùm etiam incommodi, propemodum expers, spem bene fundatam et jucundam animis injicit, ut morbum qui inter postremos

* Vid. "Med. and Phys Journal."—Hoc unicum exemplum afferui, apud Nosocomium enim Londini vix dubitandum quin infans cujus mors recordatur, febre variolarum e vita abreptus esset.

† Jenner, in "Med. and Phys. Journal."

poſtremos mille annos, decimam vel ampliùs partem hominum extinxit *, tandem aliquando delere poſſimus.

---

* Haygarth, "Sketch of a plan to exterminate the Small-pox," p. 8.

FINIS.